

St. George in Augsburg). Hatte im deutschen Sprachraum — mit Ausnahme des Erzbistums Salzburg — die Mehrheit der Kanoniker das Gelübde abgelehnt, so wandten sich die Regularkanoniker schon in der 2. Hälfte des 12. Jahrh. einer möglichst milden Auffassung des Gelübdes zu. Die Bettelorden mussten das eigentliche Anliegen weiterführen, das die Regularkanoniker in der Ueberlast ihrer Aufgaben und beim Erlöschen der ersten Begeisterung zu vergessen drohten.

Es bleibt aber der Ruhm dieses apostolischen Stromes, dass er seit dem Entstehen des Mönchtums die spontanste und aufwühlendste religiöse Bewegung in der Kirche zur Blüte brachte. Er war aber auch bisher die letzte Erneuerungsbewegung der lateinischen Kirche, in der Eremiten, die als Kleriker die Bildung ihrer Zeit und das Charisma apostolischer Seelsorge besaßen, eine neue Institution verkörperten und durch ihr Beispiel die Elite des Volkes und die kirchliche Hierarchie in den gleichen Strom religiösen Gemeinschaftsgeistes hineinzogen » (p. 333 s.).

J. B. VALVEKENS, O. Praem.

De Mandato fratrum in Quadragesima ad normam Institutionum Praemonstratensium.

Pedilavium, sive pedum ablutio, in ascesi medii aevi opus humilitatis atque caritatis reputatur. Unde saepius de ejus usu sermo est in normis et praescriptionibus vitae religiosae, imo clericalis, hac aetate vigentibus ¹⁾).

Primaeva Praemonstratensis ordinis instituta, id est statuta disciplinaria ante medium saeculi XII¹ condita, ac etiam Ordinarium liturgicum, — cujus tenor integer, etsi non ante ejusdem saeculi finem hucusque repertus est, tamen certo certius subjacentia elementa antiquiora continet, — singulis sabbatis Quadragesimae mandatum peragendum esse praescribunt ²⁾). Alio tamen ejusdem compilationis

¹⁾ Historiam pedilavii, prout hoc variis locis et temporibus in usu erat, enucleavit Th. SCHÄFER, *Die Fusswaschung im monastischen Brauchtum in der lateinischen Liturgie. Liturgiegeschichtliche Untersuchung* (Texte und Arbeiten herausgegeben durch die Erzabtei Beuron, pars I, fasc. 7), Beuron, 1956.

²⁾ « Hoc mandatum fiat omni sabbato in Quadragesima » in capite XVIII^o « De communi mandato ». R. VAN WAEFELGHEM, *Les premiers Statuts de l'ordre de Prémontré*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, t. IX, 1913, p. 51. —

loco determinatum est in Quadragesima quinquies tantum, id est a secundo usque ad sextum sabbatum, videlicet a vigilia dominicae *Reminiscere* usque ad vigiliam dominicae Palmarum, mandatum habendum esse, casu quo nec iis sabbatis festum novem lectionum, nec in crastino duplex festum recoleretur ³⁾).

Modus celebrandi mandatum in primis statutis sic delineatur: sacerdotes hebdomadarii, cum suis diaconibus et subdiaconibus, scilicet celebrantes et servientes missae matutinalis et missae majoris, pedes lavent, ita ut qui majorem celebraverit missam in dextro choro, alter in sinistro, cum suis respectivis ministris opus perficiat. Si in uno choro citius quam in alio pedilavium absolvatur, illi qui citius finierint in alium chorum transeuntes, ibi lavantes adjuvent. Quod si fratrum valde numerosa est caterva, ad subveniendum lavantibus prior alios commonebit. Lavans pedes et cui lavantur, sicut tergens eos et cui terguntur, post lavationem et tersionem sibi mutuo inclinent. Omnibus ablutis et extersis, ipsi sacerdotes et ministri manus suas lavent, et sacerdos hebdomadarius majoris missae mandati compleat preces.

Pressius quidem per Ordinarium superius citatum signatur munus ministrorum mandato servientium, videlicet diaconum fratrum pedes cum linteo tergere, subdiaconum vero pelvim cum aqua deferre, utrosque superpelliciis indui, presbyterum autem pedes lavare, capillis extergere et osculari.

Ingressis itaque fratribus in capitulo, hebdomadarius sacerdos majoris missae preces dicat liminarias, cum *Confiteor*, deinde sub cantu selectarum ad hoc antiphonarum, peragitur mandatum. Quo expleto, collectam praedictus sacerdos in completionem mandati pronuntiet.

Preces autem initiales, de quibus supra, raptim inter ea quae

« De mandato fiet sicut in primo sabbato Quadragesime dictum est ». In capite XXXIV^o « De feria quinta in Cena Domini », loco quo de mandato fratrum, post meridiem, tractatur. Pl. LEFÈVRE, *L'Ordinaire de Prémontré d'après des mss du XII^e et du XIII^e siècle* (Bibliothèque de la Revue d'Histoire ecclésiastique, fasc. XXII), Louvain, 1941, p. 61.

³⁾ « Sabbato vero ante secundam dominicam Quadragesime mandatum fieri solet, et deinceps omni sabbato usque in sabbatum ante Palmas, exceptis sabbatis novem lectionum et quando duplex festum subsequitur », in capite XXX^o « De dominica prima Quadragesime ». Pl. LEFÈVRE, o. c., p. 51. — Discrepantia textus praesentis et alterius ex capite XXXIV^o, in praecedenti nota citato, vetustioris Ordinarii ipsi hactenus recognito existentiam iterum postulat. Argumenta potiora hac de re vide in Pl. LEFÈVRE, o. c., p. XIV.

pro mandato quadragesimali praescribuntur ab Ordinario indigentur. Breviarium autem Praemonstratensis archicoenobii, saeculo XIII^o mediante conscriptum, totum formularium liturgicum patefacit ⁴⁾).

Quoad cantus usitatos, de quibus in genere loquitur Ordinarius pro mandato quadragesimali, Breviarium praedictum enumerat antiphonas *Mandatum novum*, *Diligamus nos*, addens verba « et cetera ». Ut ultimam tamen harum antiphonarum indicat *Ecce quam bonum*, cum versu suo et repetitione ⁵⁾). In quodam graduali, saeculo XIII^o, versus finem, Tongerloae ut videtur scriptum, series sat ampla notatur antiphonarum in mandato decantandarum, quarum paucae admodum in processionali Ordinis abhinc saeculo XVII^o servatae fuere ⁶⁾).

Preces finales ante collectam mandati quadragesimalis in Breviario Praemonstratensi jam citato cum oratione traduntur. Indigentur etiam in Ordinario, sed in capite ubi agitur de mandato pauperum et de mandato fratrum in Coena Domini habendis ⁷⁾).

⁴⁾ Preces hae liminae notantur: « Confitemini Domino » et « Confiteor », sive confessio, « Dominus vobiscum », collecta « Actiones ». Pl. LEFÈVRE, o. c., p. 51. Circa medium saeculi XIIIⁱ, posteriores copiae Ordinarii addunt, post « Confiteor », versum « Ostende nobis ». M. VAN WAEFELGHEM, *Liturgie de Prémontré. — Le liber Ordinarius d'après un manuscrit du XIII^e/XIV^e siècle*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, 1906-1913, t. II-IX, p. 101. Quoad Breviarium Praemonstratense vide descriptionem Pl. LEFÈVRE, *Deux bréviaires prémontrés transcrits à l'abbaye mère de l'Ordre durant la seconde moitié du XIII^e siècle*, in *Analecta Praemonstratensia*, 1961, t. XXXVII, p. 128-134. Formularium pro Mandato quadragesimali imprimitur in Additamento I^o.

⁵⁾ Quoad Ordinarium, cfr Pl. LEFÈVRE, o. c., p. 51. Textus in Breviario vide infra, Additamentum I.

⁶⁾ Graduale hoc describitur in J. VAN DEN GHEYN, *Catalogue des mss de la Bibliothèque royale de Belgique*, t. I, Bruxellis 1901, n^o 424, p. 392. Textus harum antiphonarum vide inferius, Additamentum II. Cantus qui servati sunt saec. XVII^o reperiuntur in processionalibus abhinc impressis et sunt: « Mandatum novum », « Diligamus nos », « Si dilexeritis », « In hoc cognoscent omnes », « Vos vocatis », « Ante diem », « Ecce quam bonum ».

⁷⁾ Preces finales in Breviario notatas vide inferius, Additamentum I. — In Ordinario supra citato indicantur pro mandato pauperum, in Coena Domini, versus « Ostende nobis », « Tu lavasti », « Domine exaudi », « Dominus vobiscum », collecta « Adesto Domine ». Pl. LEFÈVRE, o. c., p. 60. Pro mandato fratrum, eodem die habendo, notantur versus « Kyrie eleison ». « Pater noster », « Ostende nobis », « Tu lavasti », « Domine exaudi », « Dominus vobiscum », collecta « Adesto Domine ». *Ibidem*, p. 61. Ast, copiae hujus Ordinarii, jam ab anno circum circa 1236 factae, ante versum « Tu lavasti » in mandato fratrum,

Comparatione autem instituta varia inter haec loca, tum breviarii et gradualis saeculi XIIIⁱ, tum Ordinarii saeculi XIIⁱ, hujusque ulteriorum transcriptionum, apparet ea non in omnibus convenire. Mutatio in versiculis, ante primam et ultimam collectam mandati, decursu temporis introducta esse videtur. Salvo meliore iudicio, lectionem breviarii genuinam saltem ab eo tempore, scilicet circa medium saeculi XIIIⁱ, retinendam esse censemus ⁸⁾).

Haec omnia, antiphonae videlicet, versiculi et collectae tum in mandato pauperum, tum in mandato fratrum in die Coenae Domini usurpantur. Et praestat observandum non solum apud Dominicanos, sed etiam apud Praemonstratenses multosque alios canonicos, evangelii cantum ac dein lectionem ex Joanne de sermone dominico, in suprema post coenam habito, jam a saeculo XII^o et usque in praesentem diem in fine mandati fratrum in usu esse feria quinta majoris hebdomadae ⁹⁾).

Ut propriam sententiam sibi quisque hac de re effingere valeat hic probata documenta traduntur.

Pl. LEFÈVRE, O. Praem.

addunt et alterum « Tu mandasti ». *Ibidem*, p. 61, nota ad lineam 161, et haec additio jam legitur in Breviario et in graduali Tongerloensi supra citatis. In fine autem hujus saeculi XIIIⁱ, aliae copiae superaddunt, inter « Pater noster » et « Tu mandasti », novum versum « Suscepimus Deus misericordiam tuam ». M. VAN WAEFELGHEM, o. c., p. 214. Ultima haec additio, etsi invenitur in Breviario, deest tamen adhuc in graduali Tongerloensi, de quo supra, sed jam saeculo XII^o invenitur in formulario pro mandato pauperum, feria quinta in Coena Domini, in Ordinario Lateranensis ecclesiae. L. FISCHER, *Bernardi cardinalis et Lateranensis ecclesiae prioris Ordo officiorum ecclesiae Lateranensis* (Historische Forschungen und Quellen..., fasc. 2-3), Munich et Freisingen, 1916, p. 31. Quoad insertionem hujus versus in precibus mandati vide Th. SCHÄFER, o. c., p. 25. — Textum orationis finalis, « Adesto Domine », lege in Additamento I.

⁸⁾ Patet haec evolutio, ut videtur, ex notis praecedentibus. Ope mutationum apparentium, pressius forsan librorum choralium tempus scriptionis poterit determinari.

⁹⁾ Circa evangelium et lectionem subsequentem sermonis dominici, vide Pl. LEFÈVRE, o. c., p. 61. Horum usus describitur in Th. SCHÄFER, o. c., p. 80 et seq., qui notat evangelium in libris romanis ante mandatum legi, et sermonem dominicum in ipsis deficere, quod hodie, translato mandato infra missam feriae quintae majoris hebdomadae, adhuc contingit.

ADDITAMENTUM I

Ad mandatum fratrum dicit sacerdos ebdomadarius :

Confitemini Domino quoniam bonus, — Quoniam
Confiteor — Misereatur — Indulgentiam, *ut supra. Sequitur :*
v. Ostende nobis, Domine, misericordiam — Et salutare

5 Dominus vobiscum — Oremus

Actiones nostras, quesumus Domine, et aspirando preveni,
et adjuvando proseguere, ut omnis nostra operatio et oratio et
a te semper incipiat, et per te cepta finiatur. Per Xristum.

Sequitur a. Mandatum novum ps. Exaudi Domine justitiam
10 — Diligamus nos, *et cetera. Finito mandato sequitur a.* Ecce
quam bonum *v. Sicut unguentum, post* Ecce quam bonum

Kyrieleyson — Pater noster — Et ne nos

Suscepimus Deus misericordiam tuam — In medio

Tu mandasti mandata tua — Custodiri

15 Tu lavasti pedes discipulorum tuorum — Opera

Domine exaudi orationem meam — Dominus vobiscum —
Oremus, *collecta :*

Adesto, Domine, officio servitutis nostre, et quia tu pedes

6 Actiones nostras] Textus primaevus hujus orationis notatur in sacramentario gelasiano saeculi VIIIⁱ, scilicet in codice Sancti Galli, ut quarta oratio « sabbato ad sanctum Petrum in XII lectionibus », sub Quadragesima, sequenti tenore: « Actiones nostras, quesumus Domine, et aspirando preveni, et adjuvando proseguere, ut cuncta nostra operatio et a te semper incipiat, et per te cepta finiatur. Per ». K. MOHLBERG, *Das Fränkische Sacramentarium Gelasianum in alamanischen Ueberlieferung* (Codex Sangal, n° 348) *St Galler Sacramentar-Forschung* (Liturgiegeschichtliche Quellen..., fasc. 1/2). Munster Westphaliae, 1918, n° 212, p. 47. — Additio « et oratio » et ommissio primi et ultimi verbuli « et » jam inveniuntur in Pontificali romano curiae saeculi XIIIⁱ. M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain au Moyen Age*, t. II, *Le Pontifical de la curie romaine au XIII^e siècle* (Studi e testi, t. 87). Romae, 1940, p. 560. Haec correctio servata est in usu moderno, et romano et Praemonstratensi, demptis verbis « operatio et oratio », quae ibi leguntur « oratio et operatio ».

18 Adesto Domine] Hanc orationem habet idem sacramentarium gelasianum saeculi VIIIⁱ, de quo supra, sequenti tenore: « Adesto, Domine, officio nostre servitutis, quia tu pedes lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera manuum tuarum que nobis retinenda mandasti. Sicut hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium nostrorum interiora laventur peccata. Quod ipse prestare dignetur qui vivit et regnat ». Th. SCHÄFER, o. c., p. 26. Textus hic servatur in Ordinario Lateranensi (L. FISCHER, o. c., p. 31-32) necnon in usibus modernis tam romano quam Praemonstratensi, salvis aliquibus mutationibus.

lavare dignatus es tuis discipulis, ne despicias opera manuum
20 nostrarum que nobis retinendi mandasti ; sed presta ut sicut a
nobis hic exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium
nostrum interiora laventur peccata. Quod ipse prestare digneris,
qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus per
omnia secula seculorum. Amen.

ADDITAMENTUM II

Cantus mandati

- a. Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos,
dicit Dominus. ** *ps.* Exaudi Domine justitiam meam — In-
tende deprecationem meam. *Repetitur a.*
- a. Diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est, et qui diligit
fratrem suum ex Deo natus est et videt Deum. * *ps.* Ecce
quam bonum et quam jucundum — Habitare fratres in unum.
Repetitur a.
- a. Si dilexeritis me, et verba mea in vobis manserint, vere discipuli
mei eritis, et cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos,
dicit Dominus. *ps.* Deus misereatur nostri et benedicat nobis —
Illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri. *Repe-
titur a.*
- a. In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem
habueritis ad invicem. * *ps.* Benedicam Dominum in omni
tempore — Semper laus ejus in ore meo. *Repetitur a.*
- a. Vos vocatis me magister et Domine, et bene dicitis, sum et-
enim : si ego lavi pedes vestros, Dominus et magister, et
vos debetis alter alterius lavare pedes. * *a.* Surgit Jhesus a
cena et ponit vestimenta sua, et cum accepisset lintheum,
precinxit se, dixitque discipulis suis : *repetitur a.* Vos vocatis
me. *a.* Misit denique aquam in pelvim, et cepit lavare pedes
discipulorum et extergere lintheo quo erat precinctus, dixitque
discipulis suis : *repetitur a.* Vos vocatis me. *a.* Postquam ergo
lavit pedes eorum, et accepit vestimenta sua, cum recubisset
iterum dixit eis : *repetitur a.* Vos vocatis me.
- a. In diebus illis mulier que erat in civitate peccatrix, ut cognovit
quod Jhesus accubuisset in domo Symonis leprosi, attulit
alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini Jhesu,
lacrimis cepit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui terge-

- bat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat. ** *ps.*
 Beati immaculati in via — Qui ambulant in lege Domini.
- a. Maria ergo unxit pedes Jhesu et extersit capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti. * *Ps.* Beati qui scrutantur testimonia ejus — In toto corde exquirunt eum.
- a. Cena facta, dixit Jhesus discipulis suis : Amen, amen dico vobis, unus vestrum est hic qui me traditurus est in hac nocte. *ps.*
 Miserere mei, Deus, miserere mei — Quoniam in te confidit anima mea. *Repetitur a.*
- a. Postquam surrexit Dominus a cena, misit aquam in pelvim, cepit lavare pedes discipulorum, hoc exemplum reliquit eis. ** *ps.*
 Deus stetit in synagoga deorum — In medio autem deos judicat. *Repetitur a.*
- a. Domine tu michi lavas pedes ? Respondit Jhesus et dixit ei : Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum. * *ps.*
 Domine non tantum pedes meos — Sed et manus et caput. *Repetitur a.*
- a. Ante diem festum Pasche, sciens Jhesus quia ejus hora venit, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, et cena facta, surrexit, lintheo precinxit se, misit aquam in pelvim, cepit lavare pedes discipulorum. Venit ad Petrum, dixit ei Symon : Non lavabis michi pedes in eternum. Respondit Jhesus : Si non lavero te, non habebis partem mecum. Domine, non tantum pedes meos, sed et manus et caput. Vos vocatis me Domine et magister, et bene dicitis ; et vos debetis alter alterius pedes lavare.
- a. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. *ps.* Sicut unguentum in capite — Quod descendit in barbam, barbam Aaron. *Repetitur a.*

Codex Bibliothecae regiae Bruxellensis, n° 11396, fol. 52^{vo}-55.

Ex antiphonis hic notatis quaedam inveniuntur in antiphonario Compendiensi, saeculi IX mediantis, tantum ; aliae etiam in antiphonario Modoetiensi, saeculi XI. Primae signantur uno, alterae duplo asterisco. Vide R. J. HESBERT, *Corpus antiphonarum officii*, vol. I, *Cursus romanus* (Rerum ecclesiasticarum documenta, cura Pontificii Athenaei Sancti Anselmi in Urbe edita. — Series major, fontes, t. VII). Romae, 1963, p. 417. — Inveniuntur etiam omnes cantus hic notati in missali saeculi XIIⁱ collegialis, — nunc cathedralis, — ecclesiae Bruxellensis, cujus fragmenta superstita asservantur in archivis hujus ecclesiae, fasc. n° 1860.